


Q. D. B. V.  
MEDITATIONES  
CIRCA  
MORBUM VARIOLOSUM  
PRÆSIDE  
DN. JOHANNE PFEFFINGERO  
MED. DOCT. PATHOL. ATQUE CLIN. PROF. PUBL. ORD.  
CAPIT. THOM. CANONICO  
*AD DIEM XXXI. JANUARII MDCCLXIX.*  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBJICIT  
ISAACUS OTTMANN  
ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI  
Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

D E O  
P A T R I Ä  
ATQUE  
A M I C I S  
SACRUM.



§. I.

A multis retro Sæculis ad hanc usque diem, quotidiana, sed tristi satis experientia docemur, quod in teneriori plerumque & florida ætate, in humano corpore motus contra naturam contingent, quos febris, variis symptomatibus stipata, excipit, & quod, hac, per nonnullos dies, plures quandoque, interdum pauciores, durata, in superficie corporis externa maculæ rubicundæ oriantur tenuissimarum acicularum puncta magnitudine æquantes, quæ deinde sensim juxta ordinem eruptionis grandescunt & mox cutim subiectam inflammationibus afficiunt, quæ postmo-

A 2

dum pustulas propriæ indolis formant, vulgo *Variolas* vocatas, quas pro varia conditione fluidi in iis hærentis, effectuum & intervallorum, quæ a variolæ libera relinquuntur, in veras & nothas, in benignas & malignas, in distinctas & confluentes &c. dividere solent.

## §. II.

Cum autem variolosus morbus nulli fere hominum parcat, & cum morborum nullus hucusque humano generi exitiosus magis, funestusque fuerit; hinc ab omni tempore, ex quo inter nos grassari cepit dirus hicce affectus, summo studio elaborarunt sanitatum morborumque antistites, explorando nimirum ipsius naturam, quo non solum minus nocivos ederet effectus, sed etiam ne tot tantasque luderet tragœdias; imo nostris diebus varia legimus consilia, quibus morbum hunc penitus e societate humana everti posse autumant.

## §. III.

Sicut vero ratione caussæ morbi variolosi proxim

mæ mirus inter Autores est dissensus, sic etiam mīra inter eosdem ratione medelæ deprehenduntur disfidia. Proximam caussam primario in ipso nostro corpore quærendam esse a veritate nobis proprius videretur, & eos hactenus optime & rationi & humanæ naturæ consuluisse arbitramur, qui in curando hoc morbo materiei morbificæ eruptionem, maturationem & exsiccationem convenientibus modis promovere annisi sunt.

#### §. IV.

Sed cum, exquisitissimis etiam adhibitis præfidiis, minus tamen faustus saepius successerit evenitus, quem merito, vel quantitati, vel qualitati materiei variolosæ, vel ipsi ægrotanti, vel pluribus simul ex his tribuendum esse existimarunt, & experientia docuerit, pus ex variolis cuiusdam corporis desumtum, & alteri in certa quantitate inoculatum, in isto pustulas movere, hominibus optime prospici posse crediderunt, quando, caussis sublatis vel temperatis, a quibus minus faustus effectus expectandus est, id est, purgato & preparato prius corpore, cum

pauca copia puris variolarum benignarum insitio instituitur.

### §. V.

Arrisit nobis quondam multum hocce ab insitio-  
ne petitum auxilium ; postquam vero experientia  
constiterit , quod ex variolarum benignarum pure  
interdum malignæ genitæ fuerint , & quod arte mo-  
tæ variolæ quandoque nocivum non solum , sed et-  
iam fatalem habuerint eventum , anticipites aliquanto  
hæsimus , an pro inoculatione , an contra eam mi-  
litare velimus ; credidimus enim , quod necessariæ  
in insitione cautelæ non observatæ fuerint . Ast cum  
firmissima documenta , reiteratis experienciis sufful-  
ta , sufficienter demonstraverint , quod post copio-  
sas variolas arte factas , novas & quidem malignas  
moverit natura infelici effectu , mutavimus nostram  
sententiam ; interea autem nobis videtur , quod hu-  
manæ naturæ minus conveniens sit , maximi mo-  
menti morbum arte movere , ne eundem sola natu-  
ra moveat ; cum potius principiis respondeat , ho-  
minem , qui integra alias sanitate fruitur , in isto  
statu servare.

## §. VI.

Totum enim inoculationis negotium solummodo ostendit, quod a pure hoc inoculato, motus præternaturales, pro ratione quantitatis & qualitatis fluidi insiti, & constitutione corporis diversa, diversi contingant, & quod natura inoculatum cum portione quadam impuræ materiei, vel jam in corpore sitæ, vel motibus præternaturalibus genitæ, quantitati & qualitati puris inoculati, & constitutioni corporis respondentे, post tempus quoddam ad superficiem cutis externam cogat, in cuius arteriolis minimis, deinde obstruktiones, inflammations, tandemque pustulas format. Sed eundem effectum eademque symptomata etiam aliud pus aliaque materies, vel eadem, aut alia methodo inplantata præstare poterit. Quæritur præcipue, an hac artis opera a naturalibus variolis reddamus immunes, an non? & an pure varioloſo excitatæ pustulæ, veras semper conſtituant variolas. Prioris contrarium effectum abunde iam experientia declaravit, de posteriori vero valdopere dubitamus: nam decies, vige-

fies & pluries si vis, in planta pus ex variolis mutuatū, in corpus quoddam, quod vel artificiales vel naturales expertum est variolas, & semper in cute pustulæ apparebunt, has vero pustulas veras variolas esse, nullus facile concedet. Sed dum nostri scopi non est, adeo celebratam sententiam hic refellere, a tot tantisque Viris arreptam, cui & Principes Magnatesque hodie favent, potius nos vertimus ad ea exponenda, quæ nos in re tam momentosa agenda esse, putamus.

### §. VII.

Nostra vero sententia eo redit, ut expectentur naturales morbi variolosi insultus, & ut tum demum in usum trahantur auxilia ex variis medicinæ fontibus hausta, quibus ea removeri possunt, quæ malo eventui ut plurimum maximam præbent ansam. Antequam autem vires suas in corpus nostrum morbus exferat, eo præcipue respiciendum est, ut totum omnesque ipsius partes rite, quo usque hoc facere licet, officiis suis fungantur. Quibus autem auxiliis opus sit ad debellandum hunc morbum,

bum, & quanam ratione sint applicanda, tunc modo clarius patebit, quando cognita fuerint affectus hujus caussa proxima, signa & modi, quibus natura utitur, ut a morbi caussa se se exoneret, cum obstaculis, quibus in peragendis suis functionibus turbari potest.

### §. VIII.

Ut vero scopo nostro satisfaciamus & rationali ordine procedamus, primo, exponenda est caussa morbi proxima; secundo, disquirenda sunt signa, quæ declarant esse variolosum morbum, quo ægrotans tenetur; tertio, examinandi sunt motus modique, quos natura suscipit, ut se a veneno hoc liberet; quarto, exploranda veniunt obstacula salutribus naturæ motibus contraria; quinto demum, subjungenda ratio est, qua motus naturæ, auxiliatrice arte, ita moderandi modificandique sunt, ut, quantum ab arte desiderari poterit, in ægrotantis salutem vergant.

### §. IX.

Quod ad primum, seu morbi variolosi caussam

B

proximam attinet, eam in peculiari & propria quādam humorum, sanguinis præcipue & feri corruptione quærimus, ad quam forte prima jam in semine virili & ipso ovulo locata sunt fundamenta. Videatur autem nobis, quod ad generandam hancce corruptelam maximam symbolam tribuat, nutrimentum, quod fœtus in utero materno adhuc inclusus, accipit, & istud, quod ipsi ex eo excusso, vel a lacte matris, vel ab alio víctu suppeditatur: & forsitan simpliciori modo paratis alimentis, observatis simul aliis, ratione motus, excretionum &c. . . cautelis, citius & securius everti posset morbus, qui tantas calamitates infert, quam omnibus aliis, quæ tanto-pere commendantur, præfidiis. Sensim interea humorum peculiaris corruptio crescit, & sensim propria quædam iis inducitur acrimonia, quibus tandem ad certum quendam gradum evectis, præter naturam irritantur vasa, quæ deinde quoque majorem nisum in fluida exercent, quo natura ab impuro fæse liberare conatur, & sic variis symptomatis stipatus morbus excitatur, a propriæ qualitatibus pustulis postmodum in cute apparentibus, variolis dictis, variolosus vocatus.

## §. X.

Quod ad secundum membrum seu morbi variolosi signa spectat, hæc indicare debent, hunc, nec alium esse morbum, id est motus præternaturales, tum in corpore contingentes, primario pro caufsa sua habere corruptam illam materiem, ex qua, ad cutim delata, postmodum variolæ, nec aliæ pustulæ gignuntur. Examinanda ergo sunt symptomata, quæ eruptionem antecedere solent, & videndum est, an hoc præcise, nec aliud humorum vitium denuntiant.

## §. XI.

Sunt autem varia, quorum sæpe plura nonnunquam pauciora in ægrotantibus animadvertuntur. Sic antecedunt utplurimum cibi fastidium, alvi stritura, somnus inquietus & meticulosus, ac virium prostratio, succedit deinde his horripilatio & horror atque frigus calorem satis intensum sitimque comitem habens: adsunt interdum conatus vomendi & vomitus, doloribus capitis, abdominis, dorsi, lumborumque conjuncti. Præcedunt sæpe etiam con-

vulsivi motus atque deliria, aliaque. Post hæcce symptomata per tempus quoddam, brevius quandoque, interdum longius continuata, nimisrum proportione diversa & quantitatis & qualitatis materiei morbificæ, ipsiusque peculiaris habitus ægrotantis, maculæ rubræ in cute apparent, tenuissimarum acicularum puncta magnitudine æmulantes, quæ primum faciem, collum & pectus occupant, postea loca a corde remotiora.

### §. XII.

Si hæc symptomata, vel omnia simul sumta, vel speciatim consideras, nullum est, ex quo colligere poteris, istud a materie variolosa esse productum; indicant enim tantum, esse aliquid præter naturam in corpore, & nullo modo materiæ impuræ specialis qualitas inde manifestatur. Et licet ex febris, dolorum aliorumque symptomatum vehementia, ad exanthemata ventura aliquali ratione concludere posses, incerta tamen semper erit exanthematum determinata species. Suspicioni tamen aliqd pondus addunt ætas & æger, qui antea nondum

variolis fuit detentus. Forsan fluidum ex ejusmodi ægrotantibus exhalans, & specificum exspirans odorem certum hujus morbi posset pathognomonicum fistere signum. Nullum itaque certum ante eruptionem exanthematum morbi variolosi habemus signum; etiam dictæ rubræ maculæ, nisi sensim juxta ordinem eruptionis grandescant, & mox elevatæ cutim subjectam rubore & inflammatione afficiant, certiores nos de vero morbo varioloso reddunt.

### §. XIII.

Ad modos nunc explanandos progredimur, eorumque rationes, quibus, ut venenum variolosum ex corpore ejiciatur, sæpiissime uti solet natura, id quod tertium membrum constituit. Sunt autem hmodi varii, ex iis etiam, quæ post eruptionem sequuntur, in primis petendi; finita enim ea, febris & omnia ipsius symptomata sensibiliter remittunt; maculæ vero rubræ sensim juxta ordinem eruptionis grandescunt, elevantur & cutim subjectam rubore ac inflammatione afficiunt. Deinde remissior hactenus

B 3.

febris, denuo accenditur, cum exacerbatione symptomatum, & partes, maculis circumiacentes, intumesceré atque rubore incipiunt. Tumores autem ipsi, hactenus rubri, evadunt asperi, albi, subflavi & mox maturiores redditи, fundunt tantillum materie purulentæ luteæ, quæ maturatio sensim a facie, collo & pectore ad loca a corde remotiora continuatur. Postmodum, maturatione finita, exsiccantur pustulæ, quæ, vel sponte decidunt, vel digitis ægrotantium separantur.

#### §. XIV.

Naturæ itaque modi sequentes sunt: primo, motus præternaturales in corpore contingunt, post quos mox febris sequitur, per totum fere morbi decursum sub diversa vehementia continuans; secundo, in superficie cutis externa, vascula arteriosa minima sanguifera eorumque lateralia, fluidum sanguinis subtilius vehentia, a materie variolosa obstruuntur; tertio, omnia obstructa loca inflamman-  
tur; quarto, partes inflammatae in abscessus vel

benignos, vel malignos degenerant; & quinto tan-  
dem pustulæ exsiccantur, quo factō, in integrum  
restitutus est æger. Videamus jam, cur hi modi  
pro seryando ægrotante suscipiantur, & qualem ef-  
fectum, quilibet horum, in corpore præstat.

## §. XV.

Cum, ut morbus tollatur, materia variolosa e  
corpo sit expellenda, hæc vero aliis humoribus sit  
commixta, iisque, uti effectus docet, multum co-  
hæret, neceſſe ante omnia est, ut hæc materies ab  
aliis separetur, & ut hi magis ad se invicem accedant  
virusque variolosum a sua mixtione excludant. Hinc,  
ut hoc fieri possit, requiruntur actiones mayores fo-  
lidorum in fluida, & vice versa fluidorum in solida,  
quam alias hæc in statu hominis integro peraguntur,  
quibus motus humorum non solum celeriori modo  
absolvuntur, sed etiam fluidæ partes vehementiori  
impetu ad se & ad solida impingunt. Vires vero ma-  
iores ipsum corpus suppeditat, & ipsa materia mor-  
bifica, ceu cauſa morbi proxima, primum solida ad  
maiores stimulos incitat. Sed dum virus minimis

globulis est immixtum, inde ab initio irritationes adeo parvæ existunt, ut nullum fere sensibilem effectum in corpus edant; unde primis morbi insultibus tandem somnus inquietus ac meticulosus & aliqualis lassitudo corporis percipitur. Quia autem quovis stimulo evolvitur magis materia morbifica, & hæc majori gradu evoluta ad vehementiores contractiones cor atque vasa invitat, hinc non solum febris accenditur pro quantitate & qualitate materiei morbificæ diversi gradus, quæ tamdiu incrementa capit, usque dum virus a nobilioribus ad minus nobilia fuerit propulsum, sed & aliis symptomatibus generandis, præbetur ansa: unde virium prostratio, conatus vomendi & vomitus, convulsiones, deliria, aliaque suam ducunt originem.

### §. XVI.

Evolutam materiem per cutim expellere nititur natura; quando autem ad extrema cutis vascula pervenit, primi statim ipsius globuli, ob acrem sibi innatam indolem, ne expellatur, obicem ponit, obstruendo nimirum vasa. Sed ut tamen ab hac materia

teria, ceu hoste suo, liberum fiat corpus, alias sibi  
opem ferendi ingreditur rationes: nimirum natura  
mitiora corpori inducit mala, quibus caussa morbi  
se ipsam destruit, ipsum vero corpus, caussa morbi-  
fica adjuvante, sanitati denuo redditur. Pro hoc  
scopo vero impetrando primum naturæ conamen est,  
ut omnis materia morbifica in cute colligatur, & ut,  
ne facile ad interiora redeat, ipsi præscindatur via.  
Utrumque autem ipsum virus præstat, irritando  
nempe vasa, quo non solum affluxus & impetus hu-  
morum ad loca obstructa fertur, sed & tot inflam-  
mationes peculiares gignuntur, quot maculæ rubræ  
antea in cute apparuere; interea etiam, caussa mor-  
bifica a nobilioribus ad minus nobilia loca ducta,  
remissior fit febris, nihilominus, cum ipsius caussa  
non penitus e corpore fuerit sublata, cutsum suum  
ulterius continuat.

### §. XVII.

Hoc facto, id est, postquam virus ad cutim fuit  
delatum, duæ tantummodo viæ supersunt, quibus  
stagnans fluidum evacuari potest; scilicet, ut vel

C

resolvatur, seu in minores globulos dividatur, vel ut soluta unitas fiat, qua'facta, ipsum effluere queat. Prius naturæ minus conveniens videtur, quod hac ratione facilime veneni portio ad interiora regurgitare posset; quapropter via posterior tutius deligitur, cumque continuatis impulsibus ipsa vasa obstructa niuum fuerint debilitata, quam ut ulterioribus suis officiis fungi possent, ipsa cum fluido stagnante destruuntur, atque in massam blandam purulentam mutantur. Tandem natura destructa vascula de novo miris modis resarcit; ne vero ab aëre externo affectæ partes aliquam patientur injuriam, pus blandum sub cuticula per tempus quoddam collectum servatur, quod resartione finita rupta epidermite, partim effluit, partim sensim exsiccatur, & sic sola operante natura nullo artis ministerio adjuvata, morbo varioloso detentus æger, pristinæ sanitati rursus restituitur.

IVZ. §.  
§. XVIII.

Quamvis hi motus modique recensiti omnes a sola natura pendeant, & hæc optima semper deligantur.

media, nihilominus dantur subinde ejusmodi impedimenta, quibus natura in absolvenda sua opera ita turbatur, ut in ægrotantis, si non mortem, tamen damnum redeant. Itaque Medici, ceu naturæ ministri est, ea nosse, quo illa vel removeat, vel saltem temperet, si nempe arti hoc facere datum est. Videamus ergo, quæ in morbo variolofo in variis suis stadiis, salutaribus naturæ conaminibus obſcula ponuntur.

## §. XIX.

Cum in quolibet stadio determinati absolvantur effectus & cum natura ad eos impetrando, in omni, ultimo excepto, febre utatur, ut hæc quoque sub determinatis limitibus vires suas exerceat, absolute necessarium est. In quolibet itaque stadio febris vel nimium lenta, vel nimium exacerbata, noxas inferret; inde omnia, quæcunque jam sint, in quolibet stadio, bono effectui impedimentum erunt, quibus motus febriles vel nimium tenues, vel nimis impietuosi redduntur. Sed febrem caufa morbifica accedit, cuius effectus in corpore potentia agenti &

C 2

viribus corporis simul sumtis semper erunt proportionati: nimis lenta redditur, si virium defectus subest, ultra modum vero a nimio vitali robore adaugetur.

## §. XX.

In primo, evolutionis nempe stadio, si vires deficiunt, materia variolosa non sufficienter evolvitur, si nimium robur vitale est, virus non solum ultra modum resolvitur, sed & humoribus integris inducitur acrimonia. In secundo stadio, a viribus deficientibus eruptio impeditur, & si visceri cuidam inest labes, venenum ad locum debilitatum fertur. Eundem quoque effectum praestat in erumpenda materie nimium robur, & vitale, & illud physicum. Tertium stadium, inflammationis scilicet, excitatatur, ut quartum, suppurationis nimirum, fieri queat. In utroque casu, sive jam vires desint, sive ultra modum sint praesentes, tanta fit partis inflammatae destruacio, ut fluidum inde enatum vario modo fit acre, locisque vicinis fiat infensum. Ultimum stadium exsiccatio constituit, quo tempore destructa

vascula restituuntur. Hic rodens materia, vel debilitans, vel de novo semper vicina destruens, atque continuum humorum affluxum ad ea alliciens, ne bene naturae conamina succedant, maximo est obstaculo.

### §. XXI.

Expositis nunc etiam præcipuis obstaculis, quibus natura in exequendis salutaribus suis negotiis, turbari atque impediri potest, rationalis ordo nos ad ea indicanda dicit, quibus haecce in diversis stadiis, quæ in expurgando corpore observantur, vel removeri possunt, vel ita saltem flecti, ut minus nocens fiat eventus. Sed cum ante eruptionem veneni & in principio illius, nulla certa de varioloso morbo habeamus signa, Medicus, ni admodum circumspete agat, ita facile naturae motus turbare potest, ut ægrotantem in exitium trahat. Quapropter primo consulat symptomata variolarum eruptionem ut plurimum antecedentia, secundo disquirat, an ægrotans antea jam variolis laboraverit, an non? tertio videat, an tanta sit febris symptomatumque ferocia, ut

de venturis exanthematibus, quæcunque nunc ea  
sint, aliqualis suspicio esse possit? quarto exploret,  
an eo tempore adhuc alii homines variolis correpti  
sint? Ne Medicus autem, si de exanthematibus  
conjectura est, eo tempore, quo eruptio contingere  
debet, fortioribus medicamentis primarum via-  
rum evacuationem suscipiat, hinc quinto, sollicitus  
admodum disquirat tempus, ex quo præternaturales  
insultus animadvertisit, vel ipse æger, vel ii, quo-  
rum curæ speciatim commissus fuit.

### §. XXII.

Primarum viarum evacuatio in omni morbo adeo  
necessaria, quia primis viis ab impuritatibus liberis,  
tum naturæ tantum, cum superandis iis res est,  
quæ in secundis viis hærent, in pernicie ducere  
potest laborantem, si eo tempore instituitur, quo  
evoluta materies jam externum corporis habitum  
petit. Tolerandum potius minus malum est, ne  
graviori hinc surrecturo præbeatur occasio. Et cum  
enemata stimulantia, irritando nervos eundem effe-  
ctum, ut purgantia, edant, si etiam leniora sunt,

ejusmodi generis clysimatibus alvum movere velle, minus esset conveniens. Imo cum enemata ex emollientibus simpliciter parata, quibus Scybala mobiliora redduntur, hinc ad faciliorem excretiōnem magis apta fiunt, etiam irritant & emolliunt, irritationē vero impetus humorū ad partes irritatas crescit, emollitione autem humores in majori copia ad loca minus resistentia ruunt, caute admodum cum iis mercandum erit, & tunc demum in usum vocanda sunt, quando vel stimuli ad alvum deponendam, sentiuntur, ipsa vero excretio alvina non succedit, vel si urgentia symptomata ex obstruktione alvina ortum habentia illam indicant. Forsan obstruktione hac utitur natura, ut eo melius ex secundis viis peregrina evertere queat.

### §. XXIII.

Quod vero medicamenta purgantia in specie attinget, ad primas vias evacuandas, hæc non nisi statim in principio morbi sunt usurpanda, prætereaque debent esse lenissima, quia forte alias quantitas fluidi ad evolutionem promovendam necessaria,

nimia stimulatione sanguini subduceretur. In universum autem ardua valde res est, quia etiam memorata symptomata solis ab impuritatibus primarum viarum originem habere possunt, quæ si non expelluntur, aliis malis fontem præbent, hinc in re adeo ancipiti, tutissimum capiendum est auxilium, quod in eo consistit, ut purgetur corpus, quamprimum morbi cuiusdam adest suspicio.

### §. XXIV.

Cum insuper tamdiu de exanthematico morbo conjecturamus, quamdiu nulla facta fuit eruptio, eo vero intervallo evolutio materiei impuræ contingit; interea omnis danda est opera, ut sufficienter, nec nimium, fiat. Quia vero boni eventus obstacula, per omnia morbi stadia a febre, vel lenta nimis, vel nimium accensa proficiscantur, cumque ignoremus, quali vehementiæ gradu febris opus sit, ut res feliciter cedat, febris autem pro ratione vel quantitatis vel qualitatis materiei morbificæ & roboris corporis, vires suas exerceat, optime ægrotanti consuli posse existimamus, si, vel in magna morbi

morbi variolosi suspicione, vel apparentibus jam istis exanthematibus, virus variolosum, ceu caufa morbi, imminuitur, cum re moveri nequeat. Hac imminuta, naturæ cum infirmato magis quasi hoste dimicandum, & sublatum est maximum obstaculum, a quo per totum morbi decursum alias toties irriti redundunt salutiferi naturæ conatus. Evolutio enim tunc etiam in minus firmo corpore melius succedit, & in eo quod viribus abundat, tam materia variolosa, quam sani humores, lentius agitati, minus corrumpuntur, cumque vasa cutanea externa minori gradu constringantur, eruptio non solum facilius evadit, sed & materie morbificæ collectio ibidem copiosior contingere potest, & eodem modo etiam in reliquis stadiis insignia edit emolumenta.

### §. XXV.

Quali autem ratione hæc veneni variolosi immunitio instituenda sit, multum dubitari posset. Videlur autem nobis eam ineundam esse viam, qua natura in conatibus suis minime turbatur, & qua potius ipsis magis adhuc succurrimus. Minus itaque

D

conducunt, & rationi contrariæ sunt, evacuationes per intestinorum canalem, quia his facillime virus ad interiora trahitur, atque ibi infelici cum eventu sedem suam figere posset, etiam venæctionem in morbis inflammatoriis miros alias usus habentem, ni magna plethora & vehemens humorum orgasimus urgeat, celebrandam non esse censemus. Præstabant vero maximam optimamque opem, scarificationes, pro varietate circumstantiarum, vel superficiariæ tantum, vel magis profundiores, multis in locis, exempli gratia, in dorso, brachio, extremitatibus inferioribus aliisque sedibus, post cucurbitularum applicationem institutæ, & si necessitas postulat, eodem modo repetitæ, quas ob multis rationes impense commendandas esse ducimus.

### §. XXVI.

Primo enim materia morbifica, quæ multis in punctis cutis erumpit, & non in uno loco coaceratur, sed potius per habitum externum divisa persistit, hac methodo non ad unum locum derivatur, quod alias ulcerum malignorum generationi dare

posset occasionem; & sic lex, quam natura sequitur, strictim observatur. Secundo, natura a materia morbi per cutim sese exonerare conatur, cucurbitulis autem applicatis, resistentia in ea decrescit, & major fit humorum ad cutim affluxus. Tertio, cucurbitularum auxilio virus immediate e sedibus, in quibus colligitur, expellitur. Quarto, profundioribus scarificationibus impetus fluidorum ad exteriora augetur & impetratur inde, ut, quando debilitatum quoddam viscus est, materiei morbificæ vis minus ad istud vertatur, sed potius per exteriora viam quærat. Quinto, medianibus cucurbitulis colligitur primum fluidum, deinde portio quædam effluit, & dum subinde cucurbitularum applicatio reiteratur, sensim omne ex vasis incisis extrahitur, ita ut nulla exulceratio sit metuenda; etiam minima, quæ oritur, forsan non sensibilis inflammatio, facillimo negotio a solis naturæ viribus profligatur. Sexto, cucurbitularum ministerio virus eruptio ex parte a facie avertitur & ad remotiora loca derivatur. Septimo, hac methodo pro expellendo veneno & aliis impetrandis commodis, nulli fere dolo-

res excitantur, ni incisiones profundiores; saepe etiam necessariæ, instituantur, & infantibus, etiam tene-  
rioribus, est applicandi locus.

## §. XXVII.

Post causam morbi imminentiam, eruptionis ne-  
gotium proximum est, cui ipsa maximum fere  
semper obstaculum ponit. Hac autem temperata,  
si tamen non sufficiens succedit eruptio, quod con-  
cludimus, quando febris impetus adhuc vehemen-  
ter viget, opera danda est, ut materia morbifica  
ad exteriora majori gradu delabatur. Ne autem  
hoc fiat, plerumque vel viscerum labes subest, vel  
nimium adhuc externorum robur. In priori casu,  
laborante nimis viscere, gravis sane res est, quia  
hoc tempore isti succurrenti, nulla forsitan suppetit  
ratio. Unicum tantum, ne materia ad debilitatum  
viscus vehementius ruat, supereft auxilium, ut nem-  
pe affluxus impulsusque humorum ad externas sedes  
derivetur, cui fini balnea, cataplasma emollien-  
tia, frictiones, scarificationes magis profundæ &  
vesicatoria satisfaciunt, quæ omnia autem ægro-

tanti nullo sunt adjumento, si visceri multum roboris deest. Sed in posteriori casu, ubi materiei morbificæ liberiori egressui, vel vis vasorum vitalis, vel illa physica, nimium resistunt, enemata sœpius repetita, & balnea, nimiam solidorum strictram temperando, & vasa emolliendo, insignia ferent auxilia. Ratione balneorum autem notandum est, ne nimis diu eorum protrahatur usus, quia virtuti vitali nimium detraheretur, in reliquis stadiis adeo necessariæ.

### §. XXVIII.

Contingente veneni variolosi eruptione, inflammatio nascitur, quæ, ea peracta, cum febre crescit, ut ulterior destructio fieri possit. Ex vehementiore autem inflammatione, vel abscessus maligni, vel gangræna gignitur. Ast impulsum fortiorum reddunt, vel nimia materiei stagnantis quantitas, vel ipsius qualitas admodum corrupta. Itaque merito arbitramur, quod in utroque casu, sub contingente eruptione, denuo cucurbitulæ cum scarificationibus in usum sint trahendæ, quia a vi-

D 3

ribus naturæ semper, & citius & melius minor, quam major materiei morbificæ quantitas subigi potest. Cum autem ex maligno fluido stagnante, ob continuas irritationes & ferociores impulsus, major fiat inflammationis gradus, quam ut exinde bonæ indolis pus formetur, moderandus est humorum impetus ad partes inflammatas, eas nimirum emolliendo, quod tuto a cataplasmatibus emolliendi & putredini simul resistendi virtute instruitis, obtinetur.

## §. XXIX.

Ultimum stadium exsiccatione absolvitur, in quo destructa vasa reparantur. Naturam vero per tempus quoddam sub epidermide blandum pus collectum servare, ut restitutio hæc decenter fiat & materiem rodentem salutaribus ipsius conatibus adversam esse, supra notavimus. Damnum itaque ægro inferet, qui statim post maturationem in benignis variolis finitam, pustulas aperit, quod tumidum iis prodeesse poterit, quando pus sub crassiori cu-

ticula affervatur , & quæ post aliquale tempus non  
sponte rumpit. Ne autem acre fluidum, in facie  
inprimis , adeo deformes relinquat cicatrices , ul-  
cera purganda, destructæ partes restituendæ , &  
quantum fieri potest, æquali & nitida, pristinæ fi-  
guræ conformi cicatrice claudenda sunt.

T A N T U M !



IM U T R A T

Straßburg, Med. Diss., 18

ULB Halle  
008 564 809

3



KDIP





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-058354247-18

DFG

Q. D. B. V.  
MEDITATIONES  
CIRCA  
MORBUM VARIOLOSUM

DN. JOHA

MED. DOCT. PA  
GA

AD DIEM X

SOLENNI E

ISAAC

AR

( $\oplus$ )...( $\oplus$ )...( $\oplus$ )...( $\oplus$ )...

Typis JOHANNIS

